

nantiam *nugatoria* appellatur, est ea, quae fit sine fundamento in re; e. g., cum Petrus in hac propositione, *Petrus est Petrus*, ita a nobis consideratur, quasi per aliud haberet rationem subiecti, per aliud vero munus obiret praedicati. Altera est ea, quae fit cum aliquo fundamento in re, cum nempe mens in una eademque re plura concipit, propterea quod res ipsa eius sit naturae, ut pluribus aequivaleat, vel varios producat effectus; huiusmodi est ea quae intercedit inter absoluta attributa Dei; illa enim variis et distinctis conceptibus cogitamus, atque huius conceptuum varietatis fundamentum in ipsa Divinae perfectionis eminentia est; siquidem Divina Attributa, etsi in ipso Deo una res sint, tamen res illa pluribus aequivaleat perfectionibus creatis realiter distinctis, et diversos producit effectus, qui a causis re ipsa distinctis produci solent. Quocirca haec distinctio appellatur etiam *virtualis*, quia res, quae per eam distinguitur, licet sit una, tamen multis *virtute* aequivaleat; e. g., misericordia et iustitia Dei, quae sunt una et eadem res, nempe Deus ipse, duabus virtutibus revera distinctis aequivalent.

Praeter has distinctiois species Scotus tertiam in Scholis invexit, quam *formalem ex natura rei* nuncupavit. Huiusmodi distinctio, ex eius sententia, ea est, quae intercedit inter plura, quae in se realiter non distinguuntur, neque a se invicem separari queunt, sed eius sunt naturae, ut, seclusa mentis operatione, diversas definitiones exigant, diversosque conceptus exhibeant, quia unum, quatenus tale, alterum a sui conceptu excludit, atque uni, quatenus tali, aliquid convenit, quod alteri, quatenus tali, non convenit. E. g., *animalitas* et *rationalitas* in homine non distinguuntur *realiter*, quia una nequit esse sine altera; neque tantum *ratione*, quia ante omnem intellectus actionem *animalitas* non est *rationalitas*; sed distinguuntur *formaliter*, quia habent diversos conceptus obiectivos, siquidem *animalitas* sine *rationalitate* concipi potest, atque per illam, secus ac per istam, convenit homini similitudo cum brutis. At praeter distinctionem *realem* et *rationis* nullum aliud distinctionis genus excogitari posse ceteri philosophi docent. Et sane, omnis distinctio vel praecedat mentis operam, vel non. Iam, si praecedat, est *realis*; secus, est *rationis*; quocirca ubi non est res distincta, nequit esse distinctio extra mentem. Insuper per distinctio-

nem *virtualem* ea explicari possunt, quae distinctioni *formali* assignantur; nam eo ipso, quod res pluribus aequivaleat, definitiones varias, variosque conceptus admittit, quorum unus eam apprehendit, secundum quod aequivaleat uni, et alius, secundum quod aequivaleat alteri.

## F

## EFFATA

I. FALSUM FUNDATUR IN VERO. Huius rationem s. Thomas ita assignat: « Aliquid existens extra animam pro tanto dicitur falsum, quia natum est de se facere falsam existimationem, quando movet virtutem cognitivam; unde oportet quod illud, quod falsum dicitur, aliquod ens sit: unde cum omne ens, in quantum huiusmodi, sit verum, oportet falsitatem in rebus existentem supra veritatem fundari: unde dicit Augustinus, in lib. *Solil.*, c. X, quod tragaedus, qui repraesentat veras personas in theatris, non esset falsus, nisi esset verus tragaedus; similiter equus pictus non esset falsus equus, nisi esset pura pictura. Non tamen sequitur contradictoria esse vera, quia affirmatio et negatio, secundum quod dicunt verum et falsum, non referuntur ad idem <sup>1</sup> ».

II. FINIS CUIUSLIBET REI EST BONUM. Nam finis cuiuslibet rei est id, in quod terminatur eius appetitus: appetitus autem cuiuslibet rei terminatur ad bonum <sup>2</sup>: cuiuslibet igitur rei finis est aliquod bonum <sup>3</sup>.

III. FINIS EST MENSURA MEDIORUM. Scilicet 1<sup>o</sup> cum inter id, quod ad finem ordinem habet, et ipsum finem, uti mox dicemus, proportio sit oporteat, sequitur, ut ratio eorum, quae ordinantur ad finem, sumatur ex fine, « sicut ratio dispositionis serrae sumitur ex sectione, quae est finis eius <sup>4</sup> ». 2<sup>o</sup> Eo media sunt praestantiora, quo fini assequendo magis conveniunt. Ita, remedia sunt eo praestantiora, quo sanitatem melius conservant, aut resti-

<sup>1</sup> *Qq. disp.*, De Ver., q. I, a. 10 ad 5.—<sup>2</sup> Vid. p. 53.

<sup>3</sup> *Contr. Gent.*, lib. III, c. 16. Vid. *Omne agens agit propter bonum*, lit. O.

<sup>4</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. CII, a. 1 c.

tuunt. Hinc s. Thomas: « Quanto aliquid efficacius ordinatur ad finem, tanto melius est <sup>1</sup> ». Atque: « Dignitas eorum, quae sunt ad finem, praecipue consideratur ex fine <sup>2</sup> ».

Hanc ob rationem gratia *gratum faciens* est multo excellentior, quam gratia *gratis data*; nam « gratia gratum faciens ordinat hominem immediate ad coniunctionem ultimi finis; gratiae autem gratis datae ordinant hominem ad quaedam praeparatoria finis ultimi; sicut per prophetiam, et miracula et alia huiusmodi homines inducuntur ad hoc, quod ultimo fini coniungantur <sup>3</sup> ».

IV. FINIS EST NOBILIOR IIS, QUAE SUNT AD FINEM. E. g., « in homine sentire ordinatur ad ratiocinari sicut ad finem, et ideo ratiocinari est nobilior <sup>4</sup> ». Hoc autem intelligendum est de fine *cuius*, siquidem, *inconveniens est dicere, quod aliquid sit propter vilius se* <sup>5</sup>; non universaliter autem intelligi potest de fine *cui*, ex. gr., de rege, quatenus dicitur esse « propter rusticum, ex cuius regimine provenit ei pax <sup>6</sup> ». Hinc s. Bonaventura: « Dicendum quod aliquod, propter quod res est, est dupliciter, scilicet aut ad supplendum indigentiam, sicut domus propter hominem, et calces propter pedem; aut ad suscipiendam eius influentiam, sicut homo propter Deum. Quod ultimo modo habet rationem finis, nobilior est; quod primo modo, non <sup>7</sup> ». Circa istud effatum praestat haec Ferrariensis verba exscribere: « *Finis est nobilior* etc. Dubium occurrit, quia unumquodque est propter suam operationem, tamquam propter finem; operatio autem non est nobilior operante, cum non sit subsistens, sicut est ipsum operans. Respondetur, quod cum duplex sit finis, extrinsecus, et intrinsecus, ista propositio intelligitur de fine extrinseco et principali, cui res appetit coniungi, et ad quem res tamquam ad finem suum ordinatur. Operatio autem non est finis extrinsecus, sed intrinsecus, in quan-

<sup>1</sup> 2<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. CXLII, a. 5 c.—<sup>2</sup> *Ibid.*, q. CLXXIV, a. 2 c.

<sup>3</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. CXI, a. 5 c.—<sup>4</sup> *Ibid.*, ad 3.

<sup>5</sup> Vid. hoc effatum. litt. I. « M. Credo videri tibi multo esse praestantius id, propter quod aliquid facimus, quam id ipsum quod facimus. D. Manifestum est »; s. Aug., *De Mus.*, lib. I, c. 6, n. 12.

<sup>6</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. XV, q. I, a. 1 ad 6.

<sup>7</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. I, p. 2, a. II, q. 2 ad arg.

tum per ipsam res suo fini extrinseco coniungitur: ideo non oportet ipsam secundum se esse nobiliorem operante, licet sit aliquo modo nobilior ipso, in quantum est exterioris finis assecutio <sup>1</sup> ».

V. FINIS EST SECUNDUM SE VOLITUS. Voluntas enim in ea, quae ad finem ordinantur, non fertur, nisi quatenus fertur ad finem. Unde hoc ipsum, quod in eis vult, est finis. Hanc ob rationem finis dicitur etiam *volitum principale*, et *causa volendi*.

VI. FINIS HABET SIMILITUDINEM CUM IIS, QUAE SUNT AD FINEM. Hoc effatum ita explicatur a D. Thoma: « Finis, et ea, quae sunt ad finem, non oportet esse conformia, quasi sint unius generis; sed oportet ibi esse conformitatem proportionis, ut scilicet ea, quae sunt ad finem, sint proportionata ad finem inducendum; et hoc modo virtutes conformantur beatitudini, quia ad beatitudinem inducunt per modum dispositionis et meriti <sup>2</sup> ».

VII. FINIS MOVET EFFICIENTEM. Hoc quidem intelligendum est non de motu *vero, proprio et physico*, qui fit instar effectiois, ideoque fini, qui nondum est, attribui nequit; sed tantum de motu *improprio*, et *metaphorico*, seu *equivoco*, qui dicitur *amoris*, et *desiderii*, quo nempe finis amore sui extimulat agens ad agendum. Neque id infirmatur ex eo, quod finis ante actionem non existit, sed ab agente producitur; licet enim finis ante actionem non sit *in re*, est tamen in *apprehensione*, ideoque *improprie* movere, seu allicere efficientem potest: « Finis non est causa, nisi secundum quod movet efficientem ad agendum; non enim est primum in esse, sed in intentione solum <sup>3</sup> ».

Exinde et aliud exurgit effatum: FINIS EST CAUSA CAUSARUM. Scilicet causa finalis est omnium prima *in intentione*; nam finis determinat agens, agens formam, et forma materiam <sup>4</sup>; e. g., statuarius lucri gratia determinatur ad educendam e marmore alicuius imaginem: « Finis dicitur causa causarum, quia ex causa finali omnes aliae causae recipiunt quod sunt causae, quia efficiens non agit, nisi propter finem; et ex actione efficientis forma

<sup>1</sup> *In lib. III Cont. Gent.*, c. 27.

<sup>2</sup> *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIX, q. I, a. 1, sol. 3 ad 3.

<sup>3</sup> *Qq. dispp.*, de Pot., q. V, a. 1 c.

<sup>4</sup> Vid. s. Thom., I, q. V, a. 4 c.

perficit materiam, et materia sustinet formam<sup>1</sup> ». Secus vero res se habet *in executione*; siquidem finis non nisi postquam actio iam completa sit, obtinetur<sup>2</sup>.

Rursus, illi effato hoc aliud respondet: OMNE AGENS AGIT PROPTER FINEM. Cuius ratio ex iam dictis consequitur: Cum enim finis sit prima inter omnes causas, cumque in causis, quarum una alteri subiicitur, subtracta prima, caeterae subtrahantur, sequitur ut, subtracto fine, omnes aliae causae, etiam efficiens, subtrahantur<sup>3</sup>. Quidquid ergo agit, agit propter finem. Hoc amplius confirmatur ex eo, quod omne agens effectum determinatum producit; ac proinde aliquid esse oportet, propter quod unum effectum potius, quam alium gignit. Iam illud, propter quod agens aliquid operatur, *finis* dicitur. Ergo omne agens agit propter finem<sup>4</sup>.

Hinc refutantur qui agens naturale temere et casu operari blaterant. Atque ipsa monstra, quae aliquando in natura contingunt, eorum sententiae adversantur; siquidem, sicut defectus in arte, qui monstra illius dicuntur, artem operari propter finem ostendunt, ita ex monstris factis ab agente naturali potius sequitur, quod agat propter finem. Etenim, sicut monstrum in arte dicitur quod fit praeter regulam eius, et proinde a fine illius aberrat; ita monstrum naturale dicitur quod per aliquid turbans naturalem generationis ordinem non fit consueto modo, sed a fine naturalis agentis recedit; et ideo, si agentia naturalia nullum sibi praefixum finem in suis operationibus haberent, nullum possent monstrum producere<sup>5</sup>.

Circa idem effatum praestat illud etiam adnotare, quod *agere propter finem* diversis modis intelligi potest. Id enim vel denotat *agere propter desiderium finis*; et sic Deo non competit, quia desiderium est eorum, quae non habentur, et Deus est seipso dives, nec honorum nostrorum indigus. Vel denotat *agere propter amorem finis*; et sic Deus

<sup>1</sup> *Qq. disp., De Ver., q. XXVIII, a. 7 c.*

<sup>2</sup> *1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. 1, a. 1 ad 1.—<sup>3</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. 1, a. 2 c.*

<sup>4</sup> *Cont. Gent., lib. III, c. 3.*

<sup>5</sup> « Nam et quae naturalem ortus sui causam habent, ea certis quibusdam numeris, statoque ac definito ordine singularem ad finem perveniunt, quem ubi, assecuta sunt, tum demum fieri desinunt, nisi quidvis occurrat, quod naturalem ipsorum ad id, quod sibi propositum est, cursum impediat »; Euseb., *Praep. Ev.*, lib. VI, c. 9.

agit propter finem, idest propter Bonitatem suam, quam infinite diligit, cuiusque gratia omnia sunt condita. Agit proinde in operibus *ad extra* propter *finem amatum*, non propter *finem desideratum*. Diximus *in operibus ad extra*; nam, ut advertit s. Thomas, « habitudo causae finalis est quidem in Deo respectu creaturarum, cuius bonitatem finem omnis creaturae dicimus; non autem respectu alicuius, quod in Ipso est. Non enim una Persona est finis alterius, quia ex hoc sequeretur gradus in bonitate<sup>1</sup> ». Et alibi: « Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus sunt unus finis ultimus, eo quod unicuique eorum convenit ratio finis, secundum quod quilibet est summum bonum; et hi tres non tria, sed unum summum bonum sunt<sup>2</sup> ».

VIII. FINIS NON MOVET NISI COGNITUS. Triplex modus cognoscendi finem distinguendus est, unde triplex modus operandi propter finem existit. Primus est, cum agens non tantum cognoscit rem, quae est finis propriae operationis; sed in ea etiam percipit rationem finis, seu proportionem illius cum mediis: hoc modo solum agens rationale operatur propter finem. Alter, cum agens, licet cognoscat rem, quae est finis propriae operationis, in ea tamen non percipit rationem formalem finis, ac proinde ignorat proportionem illius cum mediis; hoc modo brutum operari dicitur propter finem. Tertius est, cum cognitio obiecti non est in ipso agente, sed in Deo; hoc modo res naturales operari dicuntur propter finem; tendunt enim in finem non a se cognitum, sed ipsis ab Auctore naturae praefixum, non secus ac sagitta tendit in scopum non a se, sed ab ipso sagittario cognitum<sup>3</sup>.

IX. FINIS PARTICULARIS ORDINATUR AD FINEM COMMUNEM. Ita dux exercitus, qui intendit bonum commune, scilicet ordinem totius exercitus, movet suo imperio aliquem ex tribunis, qui intendit ordinem unius aciei. Hinc finis huius tribuni ad finem commune ducis ordinatur. Et sane, « etiam naturalis appetitus cuiuslibet partium ordinatur in bonum commune totius<sup>4</sup> ».

X. FINITUM INFINITO ADDITUM NON FACIT MAIUS. Nempe

<sup>1</sup> *In lib. I Sent., Dist. XXXIV, q. 1, a. 2 sol.*

<sup>2</sup> *In lib. II Sent., Dist. XXXVIII, q. 1, a. 1 ad 2.*

<sup>3</sup> *1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. 1, a. 2 c. Vid. p. 48-49, et p. 54.*

<sup>4</sup> *1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. XIX, a. 10 c. Vid. p. 57.*

substantia infinita cum substantiis finitis coniuncta non est quidquam perfectius unica substantia infinita, siquidem perfectiones illarum in ista eminentissime continentur. Quocirca, « bonitas creaturae bonitati Creatoris nihil addit, quia finitum infinito nihil addit <sup>1</sup> ». At vero facit plus, quia infinitum, et finitum sunt duo <sup>2</sup>. « Deus et Angelus non sunt aliquid maius, quam Deus, sed sunt plures res <sup>3</sup> ».

XI. FORMA DAT ESSE REI. Nam *materia* dat quidem rei esse intrinsecum, sed commune; ac proinde omnino vagum, et indeterminatum; *forma* autem dat ei esse intrinsecum et proprium, puta, anima viventi; anima enim constituit vivens in se, et a ceteris non viventibus distinguit. Quamobrem, licet *materia* includatur in tota integritate compositi, tamen simpliciter dicitur a Philosophis, *Forma dat esse rei* <sup>4</sup>.

XII. FORMA EST COMMUNICABILIS ET UNIVERSALIS. Nempe, forma in se spectata, vel, ut s. Thomas inquit, *quantum est de se, nisi aliquid aliud impediatur* <sup>5</sup>, recipi potest in pluribus, atque eo quod in pluribus est receptibilis, *rationem universalitatis habet* <sup>6</sup>; e. g., humanitas, quae est forma hominis, pluribus communis esse potest, unde *differentia, quae ex forma procedit, inducit non iam diversitatem individuorum, seu numericam, sed diversitatem speciei* <sup>7</sup>.

Diximus autem *quantum est de se, nisi aliquid impediatur*; nam principium, per quod forma ad individua determinatur, est *materia*; « individuatō formae est ex materia, per quam forma contrahitur ad hoc determinatum <sup>8</sup> »; puta humanitas in Socrate non cuiusque hominis, sed Socratis propria est ex eo quod ab hisce, et non aliis conditionibus materiae circumscribitur: Quocirca evenire potest, ut forma pluribus communis non sit, ac proinde ut

<sup>1</sup> S. Bon., *Hexaemeron*, Serm. XI. Vid. p. 49.

<sup>2</sup> Vid. s. Thom., *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIX, q. I, a. 4, *sol.* 1 ad 4.

<sup>3</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XXIV, q. I, a. 1 ad 4.

<sup>4</sup> Vid. p. 128-29.—<sup>5</sup> I, q. III, a. 2 ad 3.

<sup>6</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. I, a. 2 ad 2.

<sup>7</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 93.

<sup>8</sup> *Quodlib.* VII, a. 3 c.

ad plura individua non referatur, vel quia *materia debita illi speciei invenitur tota in uno individuo*, ita ut unum individuum totam materiam absorbeat, quemadmodum, e. g., evenit in sole, *qui constat ex tota sua materia* <sup>1</sup>; vel quia forma nullam habere potest materiam, ac proinde non inveniuntur subiecta, in quibus multiplicetur; quemadmodum evenit in Angelis, quia natura cuiusque Angeli, cum sit omnis materiae expertus, non habet principia, per quae multiplicari potest <sup>2</sup>.

XIII. FORMA EST DIVINUM QUODDAM ET APPETIBILE. Cuius effati ratio haec est: « Cum forma sit secundum quam res habet esse; res autem quaelibet, secundum quod habet esse, accedat ad similitudinem Dei, qui est ipsum suum esse simplex; necesse est quod forma nihil sit aliud, quam Divina similitudo participata in rebus <sup>3</sup> ».

XIV. FORMA EST PRIOR MATERIA. Est nempe prior *dignitate*, cum enim sit illud, quod dat esse materiae, est magis ens, atque magis, quam materia, de Divinis perfectionibus participat, siquidem haec *de bono non participat, nisi ipsum ordinem, vel aptitudinem ad bonum* <sup>4</sup>. Non est autem prior tempore, seu ordine generationis; siquidem hac ratione materia est prior forma, prout imperfectum est prius perfecto <sup>5</sup>. Hinc s. Thomas: « Formae non est, ut tempore materiam praecedat, sed dignitate tantum <sup>6</sup> ». Itaque, « materia a forma dependet, ad ipsam habet necessariam ordinationem; et quamvis sit prior productione, sive generatione, posterior est tamen in completionem <sup>7</sup> ».

XV. FORMA ET MATERIA SUNT SIBI INVICEM CAUSA. Sane forma est causa materiae, quatenus ei dat esse actu, materia vero est causa formae, quatenus ipsam sustentat <sup>8</sup>. « Forma est quodammodo causa materiae, in quantum ei

<sup>1</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. IV, a. 2 *sol.*, et I, q. CXIX, a. 1 c.

<sup>2</sup> I, q. XLVII, a. 2 c., et *in lib. II Sent.*, Dist. III, q. I, a. 2 ad

1. Vid. *Unitas generica, specifica, numerica*, litt. U.

<sup>3</sup> *Contr. Gent.*, lib. III, c. 97.

<sup>4</sup> I, q. V, a. 3 ad 3.

<sup>5</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. LXII, a. 4 c. Cf. *ibid.*, q. XX, a. 1 ad 3.

<sup>6</sup> *In lib. III Sent.*, Dist. II, q. II, a. 3, *sol.* 3 ad 2.

<sup>7</sup> S. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. XII, a. 1, q. 1 *ad arg.*

<sup>8</sup> Vid. p. 76.

dat esse actu; quodam vero modo materia est causa formae, in quantum sustentat ipsam <sup>1</sup> ». Qua in re monet idem s. Thomas id fieri posse vel *simpliciter*, vel *secundum quid*. « Nam forma substantialis dat esse materiae simpliciter; forma autem accidentalis secundum quid, prout etiam forma est. Materia etiam quandoque non sustentat formam secundum esse simpliciter, sed secundum quod est forma huius, habens esse in hoc; sicut se habet corpus humanum ad animam rationalem <sup>2</sup> ».

XVI. FORMAE EST MOVERE. Idest, forma est primum et potissimum operandi principium. Etenim nihil agit, nisi quatenus est actu; quapropter quo aliquid est actu, eo agit; atqui forma est primum, quo aliquid est actu; ergo forma est illud, quo primo aliquid operatur <sup>3</sup>.

XVII. FORMAE FORMA NON DATUR. Scilicet non datur forma formae homogeneae, seu eiusdem rationis; e. g., albedo albedinis; unde non potest dici color coloratus <sup>4</sup>, tum quia progressus in infinitum admitteretur, tum quia forma superaddita foret supervacanea, siquidem idem ac ea, cui superadditur, praestaret. Potest autem dari forma formae heterogeneae. Nam « contingit, quod illud, quod est perfectio unius secundum unam rationem, sit perfectum ab alio secundum rationem aliam; sicut lux perficit colorem, et color perficit superficiem, et superficies corpus, cuius terminus est <sup>5</sup> ». Hoc etiam modo « aliarum virtutum, quae sunt quaedam formae, potest esse forma charitas <sup>6</sup> ». Scilicet, « est forma, quae complet in essendo, et est forma, quae complet in movendo. Cum ergo dicitur ceteras virtutes formari a charitate, hoc non est, quia charitas sit forma constitutiva ipsarum virtutum, dans eis complementum in essendo, sed quia est forma directiva dans eis complementum in regendo et ordinando. Sicut enim gravitas lapidem cum omnibus, quae in eo sunt, trahit deorsum, et dirigit ad centrum, sic cha-

<sup>1</sup> Qq. dispp., De Ver., q. IX, a. 3 ad 6.

<sup>2</sup> In lib. V Metaph., lect. II.

<sup>3</sup> Vid. s. Thom., I, q. LXXXVI, a. 1 c. Vid. *Omne agens agit in quantum est actu*, p. 40.

<sup>4</sup> In lib. II Sent., Dist. XXVII, q. I, a. 2 ad 1.

<sup>5</sup> Ibid.

<sup>6</sup> Qq. dispp., De virtut., q. II, a. 2 ad 2.

ritas animam elevat sursum, et ceteras virtutes movet, et dirigit ad finem suum <sup>1</sup> ».

XVIII. FORMAM INTER ATQUE MATERIAM DEBET ESSE PROPORTIO. Scilicet: Ut possit exurgere hoc, vel illud compositum, requiritur ut forma recipiatur in materia apta et disposita ad eam recipiendam <sup>2</sup>. Ratio est, quia partes secum uniri non possunt, atque compositum efformare, nisi proportionem inter se habeant. Necesse autem non est, ut huiusmodi proportio sit sicut *convenientia in eadem natura et proprietate*; sed sufficit, ut sit *sicut potentia ad actum* <sup>3</sup>; seu « debita proportio materiae ad formam est dupliciter, scilicet per ordinem naturalem materiae ad formam, et per remotionem impedimenti <sup>4</sup> ». Hinc, etsi anima, et corpus *secundum proprietates naturae multum distent*, tamen anima est forma substantialis corporis, quia *secundum proportionem potentiae ad actum anima et corpus maxime conveniunt* <sup>5</sup>. Vicissim, ex eo quod anima est forma substantialis corporis, non sequitur ut « si anima est incorruptibilis naturaliter, corpus etiam huiusmodi sit <sup>6</sup> ».

XIX. FORMA RECEPTA IN SUBIECTO NON NATURALI, SED EXTRANEI, RECIPITUR IN EO AMISIBILITER. E. g., calor in subiecto proprio et connaturali est *inamisibiliter*, sed in aqua est *amisibiliter*, eo quod aqua sit subiectum illi extraneum. At vero, si forma ex se, et natura sua perennitatem exigat, tunc non solum non participat mutabilitatem subiecti, sed insuper illud trahit et elevat ad suam immutabilitatem. « Hoc modo, inquit s. Thomas, per gloriam immortalitatis corpus corruptibile immortale efficitur <sup>7</sup> ».

XX. FORMALI CUIUSCUMQUE REMOTO, TOLLITUR SPECIES. E. g., remoto *rationali*, quod est *formale* in homine, tollitur species humana <sup>8</sup>; forma enim est, quae dat *esse rei* <sup>9</sup>. « Remoto eo, a quo res aliqua habet speciem, consequens

<sup>1</sup> S. Bonav., In lib. III Sent., Dist. XXXVI, a. 1, q. 6 ad arg.

<sup>2</sup> Vid. p. 98.—<sup>3</sup> In lib. IV Sent., Dist. XXX, q. I, a. 1 ad 7.

<sup>4</sup> In lib. IV Sent., Dist. XVII, q. I, a. 11, sol. 2 c.

<sup>5</sup> In lib. II Sent., Dist. I, q. II, a. 4 ad 3.

<sup>6</sup> Ibid., Dist. XXX, q. I, a. 1 ad 7.

<sup>7</sup> Qq. dispp., de Ver., q. XII, a. 6 ad 4.

<sup>8</sup> Quod s. Augustinus enunciauit his verbis: « Omnia, quae sunt, forma sublata, nulla erunt »; De lib. arb., lib. II, c. 17, n. 45.

<sup>9</sup> Vid. p. 142.

est, ut species rei solvatur; sicut remota forma substantiali a corporibus naturalibus, non remanent specie eadem<sup>1</sup> ». Hinc etiam, « illud, quod est formale in unoquoque, est excellentius in eo, quia per formam materia completur<sup>2</sup> ».

XXI. FRUSTRA EST POTENTIA QUAE NON TRADUCITUR IN ACTUM. En sensus, quibus effatum istud est accipiendum: 1<sup>o</sup> Intelligendum est de illa potentia, quae propter actum, tamquam finem, enti inest; Deus enim, et natura nihil frustra faciunt<sup>3</sup>. Contra, falsum est, si explicari velit de illa potentia, quae ad actum, tamquam ad finem, non est destinata; cuiusmodi est in corporibus potentia passiva recipiendi semper ulteriorem divisionem, atque in anima rationali mutabilitas. Quaedam enim potentiae enti insunt non propter ipsum actum, tamquam finem, seu ut in actum reducantur; sed propter necessariam cum entis essentia connexionem. Hinc s. Thomas: « Res non dicitur esse imperfecta, quacumque potentia in ipsa non reducta ad actum, sed solum quando per reductionem in actum res suum consequitur complementum<sup>4</sup> ». 2<sup>o</sup> De potentia *physica*, seu reali, non vero de potentia *logica*, quae nihil aliud est, quam non repugnantia, e. g., talpa *logicam* potentiam habet videndi, quae numquam in actum redigitur; neque de potentia, quae « dicitur obedientiae tantum<sup>5</sup> »; sicut dicitur aliquid esse in potentia ad illa, quae supra naturam Deus in eo potest facere; nam « si talis potentia non reducitur in actum, non erit potentia imperfecta »; e. g. « intellectus Angeli beati non est imperfectus, si non cognoscat omnia quae Deus potest ei revelare<sup>6</sup> ». 3<sup>o</sup> Quoad actus in *specie*. Ita si homo numquam rideret, frustra haberet ridendi potentiam, et rursus, si nullam cognoscerem veritatem, frustra eiusmodi potentia pollerem. E contrario, potest aliquis singularis homo numquam ridere, neque in me est frustra potentia cognoscendi, licet hanc, vel illam veritatem non attingam.

<sup>1</sup> Qq. dispp., De Virtut., q. IV, a. 4 c.

<sup>2</sup> In lib. IV Sent., Dist. XLVI, q. II, a. 2 sol. 3 c.

<sup>3</sup> Vid. p. 103.

<sup>4</sup> Qq. dispp., De Pot., q. V, a. 5 ad 7.

<sup>5</sup> Vid. Potentia naturalis — obedientialis, litt. P.

<sup>6</sup> Qq. dispp., De Ver., q. VIII, a. 4 ad 13.

Hinc s. Bonaventura: « Nec dicitur potentia frustra, si non reducitur ad actum; sed tunc frustra est, dum ad actum non reducitur, et tamen ad actum exigit eam reduci tempus, et locus<sup>1</sup>. 4<sup>o</sup> De causis necessariis, in his enim nulla ponitur potentia, quae non aliquando actum suum exerceat. De causis liberis idem dici nequit; possum enim in bellum proficisci, atque licet numquam proficiscar, tamen illa potentia non est in me frustra. 5<sup>o</sup> Dummodo actus aliunde non dependeat; hinc potentia ignis lignum comburendi numquam in actum traducitur, si illud non sit aridum. 6<sup>o</sup> Si pro potentia intelligitur capacitas producendi operationem sibi propriam; cuiusmodi est potentia lapidis ad motum deorsum; non item si intelligatur capacitas producendi operationem *communem*; cuiusmodi est in lapide potentia frangendi, vel comminuendi.

Ex hoc effato illud etiam colligit s. Thomas, quod scilicet « nulla potentia passiva invenitur in natura, cui non respondeat aliqua potentia activa potens eam in actu reducere, alias talis potentia frustra esset<sup>2</sup> ».

XXII. FRUSTRA EST POTENTIA QUAE NON POTEST REDIGI IN ACTUM. Quod effatum ex se manifestum est. Perperam vero ex illo aliquis inferret Deum carere potentia infinita, cum non possit infinitum efficere. Namque in primis id potius ex ipso infinito evenit, cuius natura exigit ut effici non possit, quam ex defectu Divinae Potentiae. Deinde satis est, ut infinitae potentiae respondeat talis modus res producendi, qui arguat infinitam potentiam in causa latere; uti rem ex nihilo facere. Quinimmo, etiamsi Deus « nullum effectum produceret, non esset Dei potentia frustra; quia frustra est quod ordinatur ad finem, quem non attingit; potentia autem Dei non ordinatur ad effectum, sicut ad finem, sed magis ipsa est finis eius<sup>3</sup> ». Eadem ratione loquitur s. Bonaventura: « Frustra est potentia, quae non reducitur ad actum, verum est de potentia, quae completur per actum; sed Divina potentia non completur per actum, et ideo non est frustra, etiamsi non habeat potentiam passivam correspondentem<sup>4</sup> ». Qua-

<sup>1</sup> In lib. III Sent., Dist. I, a. II, q. 2 ad arg.

<sup>2</sup> In lib. II Sent., Dist. XII, q. I, a. 1 sol.

<sup>3</sup> I, q. XXV, a. 2 ad 2.

<sup>4</sup> In lib. I Sent., Dist. XLIII, a. I, q. 3 ad arg.

re Aquinas illud effatum interpretatur de potentia activa naturali: « Res enim naturales coordinatae sunt ad invicem, et etiam omnes creaturae: Deus autem est extra hunc ordinem; Ipse enim est ad quem totus hic ordo ordinatur, sicut ad bonum extrinsecum, ut exercitus ad ducem; et ideo non oportet, ut ei, quod est in Deo, aliquid in creaturis respondeat <sup>1</sup> ».

XXIII. FRUSTRA FIT PER PLURA, QUOD FIERI POTEST PER PAUCIORA <sup>2</sup>.

## G

## DISTINCTIONES

I. GENERATIO — CREATIO — CORRUPTIO — ANNIHILATIO. Secundum Scholasticorum dogmata de *materia et forma* <sup>3</sup>, res naturales incipiunt esse vel per educationem formae ex materia praeiacente, in qua *potentia* continentur, vel prorsus productione ex nihilo. Primum dicitur *generatio*, alterum *creatio*. Differt itaque creatio a generatione, quatenus haec materiam, ex qua fiat res genita, expostulat, siquidem in materiae substantiali transmutatione consistit; illa vero omne, ex quo res educatur, excludit, atque totum ex nihilo, idest non ex aliquo producit, etiam ipsam materiam; unde « creatio est productio rei, quemadmodum s. Thomas inquit, in esse secundum totam suam substantiam <sup>4</sup> »; et secundum s. Bonaventuram, « est productio totius substantiae secundum totum <sup>5</sup> ». Hinc prima rerum productio non fuit *generatio*, nam formae non fuerunt ex materia eductae, sed simul cum ipsa creatae <sup>6</sup>; ita ut, aiente s. Augustino, *Creator Deus formatam creaverit materiam* <sup>7</sup>. E contrario, res desinit esse vel separatione formae a materia, vel prorsus amittendo existentiam. Pri-

<sup>1</sup> *Qq. disspp., De Pot., q. I, a. 2 ad 1.*

<sup>2</sup> *Vid. Entia non sunt multiplicanda sine necessitate, p. 118.*

<sup>3</sup> *Vid. quae in explanatione harum vocum exponuntur, p. 127 sq.*

<sup>4</sup> *In lib. II Sent., Dist. I, q. 1, a. 2 sol.*

<sup>5</sup> *In lib. II Sent., Dist. I, p. 1, a. II, q. 2 resol.*

<sup>6</sup> *Vid. s. Thom., I, q. LXV, a. 4 c.*

<sup>7</sup> *De Gen. ad litt., lib. I, c. 14, n. 29.*

imum dicitur *corruptio*, alterum *annihilatio*. E. g., adest aliquid aptum ad comburendum; ipsi unitur forma ignis: en ignis *generatio*. Nihil est; Deus dicit: *Sit ignis*, et ignis est: en ignis *creatio*. Lignum ardet, combustio cessat, ignis forma evanescente, superest cinis; en ignis *corruptio*. Est ignis; si Deus diceret: *Nihil sit*, omnia evanescerent, quin cinis supersit, vel aliquid aliud: en ignis *annihilatio*. Nulla autem desideratur actio, ad hoc, ut res quaedam recidat in nihilum. Id quippe fit per solam Dei cessationem ab agendo, seu a creando rem illam. Etenim, cum conservatio rei cuiuspiam sit continuata eius creatio, res illa non amplius durat per conservationem, ubi primum Deus illam creare cessat.

Sensu autem magis proprio, prout nempe generatio ad viventia restringitur, ita definitur a s. Thoma: *Origo viventis a vivente principio coniuncto in similitudinem naturae* <sup>1</sup>; seu, ut s. Bonaventura inquit, *generare est simile sibi in substantia et natura producere*, ita ut haec *productio sit similis de simili, sive de seipso* <sup>2</sup>. Ex quo intelligitur tria in generatione requiri: 1<sup>o</sup> Ut id, quod generatur, sit ex substantia producentis; 2<sup>o</sup> Ut inter genitum et generans sit similitudo naturae, seu ut sint eiusdem speciei; unde *fructus arborum, et ova avium, et capilli, et huiusmodi non habent rationem geniti*; neque vermes, qui ab homine scatent, *non enim procedunt secundum rationem similitudinis in natura eiusdem speciei* <sup>3</sup>; dum « de ratione generantis est, quod generat sibi simile secundum formam <sup>4</sup> »; 3<sup>o</sup> Ut sit coniunctum cum genito principium, a quo ipsum producitur; nam pars substantiae generantis, quae ab ea transfunditur, et est principium generationis, coniungitur cum genito, immo fit ipsum genitum <sup>5</sup>.

<sup>1</sup> I, q. XXVII, a. 2 c.

<sup>2</sup> *In lib. I Sent., Dist. IX, a. I, q. 1 resol.*

<sup>3</sup> I, loc. cit., et *In lib. II Sent., Dist. VIII, q. 1, a. 1 sol.*

<sup>4</sup> I, q. XXXIII, a. 2 ad 4. « Videmus in communi consuetudine eiusdem essentiae esse cum gignentibus ea quae gignuntur; s. Iustin., *Expositio Fidei de recta confessione, sive de sancta consubstantiali Trinitate.*

<sup>5</sup> *Processio Verbi in Divinis habet rationem generationis; nam, ut s. Thomas inquit, « procedit per modum intelligibilis actionis, quae est operatio vitae, et a principio coniuncto, et secundum rationem similitudinis, quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectae.*